

EPIMETRUM AD INDICEM SEMINUM HORTI
ACADEMICI LUGDUNO-BATAVI,
ANNI MDCCCCL.

ANGIOPTERIS PRESLIANA *Nobis.*

» Caudice subgloboso; fronde bipinnata; rhachi
» primaria superne nigro-lanuginosa, pinnulisque sub-
» pilosis; pinnis oblongo-lanceolatis, nodoso-petiola-
» tis; pinnulis petiolatis, *lanceolatis*, *subfalcatis*,
» *hic illic laciniatis*, *rectis* vel *curvis*, *inaequi-*
» *lateris*, basi sursum cuneata, oblique abscissa,
» deorsum longius protracta rotundata, apice acutis
» vel et longe acuminatis, basi et medio obtuse den-
» tatis; venis furcatis vel simplicibus, obliquis; rha-
» chibus inter pinnulas extremas submarginatis, inter
» reliquas linea prominente instructis; soris".....?
Est Euangiopteris Presl.

Insul. Javam habitat, inde ad nos allata.

Dicavi viro Celeb. C. B. PRESLIO, pteridographo
eximio, die 2 m Octobris hujus anni, quo Hortum
nostrum visitavit.

Descriptio speciminis. Caudex etiamnum exiguus, sed globosus. Pulvini frondium basin vaginarum instar cingunt, sunt tenues, membranacei, arcte rhachi enascenti applicati, tandem carnosius, serrati, variegati incisi. Frondes ternae, fragiles, primum erectae, dein reflexae, 1 metr. longae, fere 0,80 latae, duplicato-pari-, vel impari-pinnatae, longissime stipitatae. Pinnarum par primum oritur ad 72 cent. rhacheos. Rhaches subflexuosae, teretes (haud canaliculatae), pilis longis nigris instructae; color ad basin olivaceus, deinde viridis. Pinnae alternae, in quovis latere 14; inferiores 45 cent. longae, 35 latae, patentes. Rhachis secundaria primariae articulata, basi tumida, quasi bulbiformis, subflexuosa, subdiaphana, subpilosa, pallide-viridis. Transversa sectio exhibet stratum exterius viride, tum vero tres circulos vasorum, quorum interior incompletus. Ex intumescencia, quae 2 cent. longa est et 2 cent. crassa, rhachis subito contrahitur, teres est, utroque in latere per totam longitudinem lineola instruitur, quae a pinnulae petiolulo ad sequentis pinnulae insertionem continuatur. Facies superior planiuscula est, pallide virens; facies inferior teres, pallida. Pinnulae membranaceae, superne et ibi medio obscure-virides, nitentes, infra pallidae, subglaucae, opacae, alternantes et oppositae, in singula pinna 10—13, petiolulatae; petioluli pinnularum inferiorum et mediarum fere 0,01 longi; petiolulo superne fere plano, lateribus et basi rotundato, tumido, ubi in foliolum transit contracto. Forma est, ut plurimum lanceo-

lata, saepius falcata, idque praecipue apicibus, basis est inaequalis, superne obliqua, inferne, ubi magis excrevit, rotundata et magis deorsum protracta; versus apicem pinnula attenuatur et abit in apicem longum, acutissimum; margo valde inaequalis, subrepandulus, dentatus. Costa utraque in pagina prominens. Venae alternato-pinnatae, oblique parallelae, semel furcatae, vel simplices, utraque in pagina prominulae, in inferiore pagina magis conspicuae, pellucidae; initium furcaturae in venis a costa remota est vel eidem proxima; venae in apicem dentium excurrunt, neque arcu marginali sunt conjunctae. Ex sinibus dentium oriuntur venulae secundariae, recurrentes, furcaturis multo tenuiores.

ANGIOPTERIS HYPOLEUCA *Nobis.*

»Caudice.....; fronde bipinnata, hypoleuca;
 »rhachi primaria hic illic lanuginosa; pinnis oblongo-lanceolatis, nodose petiolatis; pinnulis fere subsessilibus, *lanceolatis, oblongis, falcatis inaequaliteris*, basi sursum angustiore obliqua, deorsum longius protracta, subrotundatis, apice angustatis, longe acuminatis, acumine incurvo, *acute-serratis*; venis furcatis vel simplicibus, obliquis; rhachibus inter pinnulas marginatis, immo subalatis; soris".....?

Ins. Javam habitat, inde ad nos allata.

Adumbratio. Frondes terminales, binae vel ternae, primum erectae, dein a se invicem remotae,

tandem reflexae, 1,50 longae, 0,70 latae, duplicato-pari- vel impari-pinnatae, longissime stipitatae. In specimine nostro pinnarum par infimum oritur ad altitudinem 0,70 rhacheos. Rhaches t  retes, raro subpilosae, color in juniore rhachi ad basin olivaceus, sanguinolentus, in adulto viridis. Pinnae alternae in singulo latere 6, raro plures, 0,50 longae, expansae. Rhachis secundaria primariae articulata, basi tumida, bulbiformis, subdiaphana, superne plana vel parum convexa, glabra, pallide viridis, dorso teres, lateribus albo-ceracea; sectio transversa in rhachi communi ut in *A. Presliana*. Ex intumescencia articulationis, quae fere 1 cent. metrum longa est et $1\frac{1}{4}$ cent. crassa, rhachis subito contrahitur, inde teres est et utroque in latere per totam longitudinem instruitur membrana, quae a pinnulae petiolulo ad sequentis pinnulae insertionem continuatur et ultra mediam longitudinem inter pinnulas in expansionem membranaceam, viridem, fere 0,001 aequantem, ad ortum latiore, ad basin decrescen-tem expanditur. Facies superior planiuscula est, pallide virens, fusco-maculata; facies inferior teres est, fusco-glandulosa et subpilosa. Pinnulae membranaceae supra flavo-virides, subnitentes, infra albae, ceraceae, opacae, alternantes; in singula pinna 12 pinnulae adsunt. Longitudo pinnularum fere 0,16 aequat, latitudo ad basin 0,04, in medio 0,045. Forma est ut plurimum lanceolata, saepius parum curvata, apicibus subfalcatis; basis est inaequalis, superne cuneata, obliqua, inferiore parte obliqua

vel rotundata magisque deorsum protracta; versus apicem pinnula magis magisque attenuatur et tandem in apicem abit acutissimum, margo valde inaequalis est, subrepandulus, serratus; apex in multis est acuminatus. Costa in utraque pagina prominet. Venae sunt alternato-pinnatae, oblique parallelae, semel furcatae, simplices in pagina superiore prominulae, in inferiore facie magis inter ceraceam materiem conspicuae, pellucidae; initium furcaturae in inferioribus venis a costa remotum est, in superioribus ad costam ipsam vel prope eandem habet initium. Margo est tenuissime membranaceus, pellucidus. Ex hujus sinubus crenarum dentiumque oriuntur venulae secundariae, recurrentes, furcaturis multo tenuiores, pellucidae, vel in ala furcaturae libere productae, vel inter venas recurrentes nec ad costam productae.

Est *Pseudangiopteris* PRESLI.

Scripsi
d. 15 m. Decembris.
CICIDCCCL.

GUIL. HENR. DE VRIES.
Bot. Prof. et Hort. Praef.

